

Finita Postcommunione, iterum conversus ad Conven-
tum seu populum dicat : *Dóminus vobíscum.* et Diaconus
Ite missa est., dataque benedictione, dicat Sacerdos ulti-
mum Evangelium, sicque *Vesperæ* cum *Missa* terminentur.

✠ Ubi *Vesperæ* extra *Missam* cantari consueverint, factó
signo a Prælató, Fratres profunde inclinati dicant *Pater*
noster., factóque iterum signo, se erigant, versique ad
Altare, signo crucis se muniant, et statim incipiatur Anti-
phona *Cálicem.* Psalmi et Antiphonæ super Psalmos, ut
supra. Non dicatur *Capit.*, neque *Hymnus*, neque *V.*; sed
dicta post ultimum Psalmum Ant. *Considerábam.*, Prior,
Cantore ei deferente, incipiat ad *Magnificat* Ant. *Cenántibus.*

Finita a Choro post Canticum Antiphona, absque
Dóminus vobíscum. et absque *Orémus.* dicatur sequens
Oratio, Fratribus profunde inclinatis :

RESPICE, quæsumus *Dómine*, super hanc familiam tuam
pro qua *Dóminus* noster *Jesus Christus* non dubitá-
vit mámbus tradi nocéntium : et crucis subíre torméntum

Non dicatur *Qui tecum.*, neque *Amen.*, neque *Dóminus*
vobíscum., neque *Benedicámus Dómino.*, neque *Fidélium.*;
sed Fratres profunde inclinati dicant secreto *Pater noster.*

✠ Antiphonæ *Salve Regína.* et *Pie Pater Domínice.* cum
VV. et *Orationibus* in terminatione *Vesperarum* recitari
solitis, omittantur hoc triduo.

✠ Qui *Vesperas* privatim recitat dicat *Orationem Respice.*
et *Pater noster.* eo modo quo ad alias *Horas*, *Psalmos*
vero et *Canticum* cum suis *Antiphonis* ut supra.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

Peracta Communione, fiat signum ab eo qui præest in
Choro, et dicatur ab omnibus super formas prostratis *Pater*
noster. Quo finito, et factó iterum signo ab eodem, surgant
Fratres, versique ad Altare signo crucis se muniant, et can-
tentur tractim *Vesperæ* mediocri voce.